

DISSERTATIO ACADEMICA

DE

PANEGYRICIS ROMANORUM,

CUIUS

PARTEM PRIOREM,

CONSENT. AMPLISS. FACULT. PHILOS. ABOËNS.

PRÆSIDE

JOH. FREDR. WALLENIO,

*Eloqui, Professore P. & O. Ordinum Imperialium de S. Anna
secundæ & de S. Wolodimiro quartæ classis Equite, Societ.,
Oecon. Imp. Fenn. atque Reg. Wermel. nec non Societ.,
Patriot. Holm. Membro, & Societ. Latin. Jenens.,
Socio Honorario,*

PUBLICÆ SUBJICIT CENSURÆ

CAROLUS GUSTAVUS MANNERHEIM,

Liber Baro, Aboënsis,

in Auditorio Philosophico die XIII Decembris MDCCCXVII.

horis ante meridiem consuetis,

ABOË,

Typis FRENCKELLIORUM.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY



Ἐορταὶ καὶ πανηγύρεις διὰ τοῦτ
περπατοῦν, ὅτι ἐν πολλοῖς γίνονται.

DIONYSIUS Halicarnasensis.

Laudativum Orationum genus quantumvis sæpe habuit ha-
betque vel hodie ostentationis atque *ἐπιδείξεως*, haud
caruit tamen idem caretve & nobilioribus honestioribusque
fui in usum vocandi incitamentis; nec tam inventum videtur
aut excogitatum & quæsitum, quam sponte natum & ex inti-
mis humani animi sensibus ortum. Haud solet quidem gene-
ri nostro frequentius quidquam exprobrari, quam ingratus in
bene merentes animus: sed resonuere tamen ubivis, & vere
piis, Deorum laudibus templa; parentes, conjuges, amicos,
fratres, filios, non deflevit solum, sed & laudavit, supersti-
tum partim reverentia partim amor; in vivis quoque, quos
tamen incolumes, quam postea sublato ex oculis, minoris
facimus, libenter aliquando plus minus exspatiata fuit prædi-
catio, cum & morigeros beneque natos filios ultro laudarent
parentes, & strenuos prudentesque patriæ quemque suæ tu-
tores ac propugnatores spontaneo justoque cultu prosequerentur

A

be.

boni cives; & egregia quævis virtutum specimina admirationem non solum extorquerent vel invitis, verum multo etiam magis elicerent volentibus; historiisque ipsis, ad quas contextendas, enarrandas audiendasque primum omni tempore fuit ingenium humanum, laudis multum frequenter intervenit. Parum vero, & sæpe nihil, abfuerunt Laudationes istæ a quotidianis sermonibus; plus artis & meditati exquisitique studii habuerunt eædem, quoties non tam ex pectore ipso sponte erumperent, quam ad placendum operose componerentur.

Est igitur Laudativum illud genus — de Vituperationibus nihil loquor, cum nomen, a potiori, ut alia multa, aut saltem a meliori, inditum, has parum respexerit — non minus quam reliqua duo, Svasorium & Judiciale (a), aut antiquæ originiis aut insignis cum humana natura conjunctionis; sed habet tamen cum Pragmatica sive in rebus gerendis occupata Eloquentia, a generalibus dicendi præceptis si discesseris, parum aut nihil commune. Haud erat certe ad ingenerandum animis inflammandumque patriæ amorem inutile, si, ut in Panathæraico ISOCRATES, in Epitaphio suo PERICLES, in suo DEMOSTHENES, in aliis alii, illius quoque & magnorum, quibus jam ante inclaruisset, virorum laudem opportune infereret

Ora-

a) Etiam hæc ipsa persæpe intrat, at secundas quasi partes agens, jam laus, jam vituperatio. Hinc Auctor Rhetoricorum ad HERENNIVM L. III. c. 8 f. 15: *Si separatim hæc causa minus tractatur, at in judicialibus & in deliberativis causis sæpe magnæ partes versantur laudis aut vituperationis.* Cfr. CICERO de Oratore L. II. c. 84 f. 341. c. 85 f. 348 sq. Sic deliberativa illa Hujus pro Lege Manilia, Judicialis pro LICARIO, multum habent, illa in POMPEJUM, hæc in CÆSAREM laudis. ISOCRATES in omni genere inesse laudem ac vituperationem existimavit; QUINTILIAN, L. III. c. 4 f. II, cfr. c. 7 f. 28.

Orator, nec in universum ad mores rectos servandos pravosque emendandos inefficax, laudari præteritorum maxime temporum homines atque virtutes; at neque sunt tamen hi scopi cum negotiali illa civilium rerum celeriter & in præfenti decernendarum efficiendarumque necessitate ita connexi, ut magnus esse posset & in oculos mox incurrens ipsorum in tali genere usus. Removerant ergo veteres dicendi artis scriptores tantum non omnes Laudativam illam rationem, quæ quippe a forensi contentione abesfet, a Negotiali atque Politica s. Pragmatica (b); nec videbatur tamen ulli se junctio ista ultra urgenda, & multo etiam minus eo usque, ut, quod nostris temporibus fuit a Cl. DAV. LUDOV. WIGAND (c) monstroso ausu propositum, Laudationum genus Eloquentiæ exemtum vellet & Lyricæ potius Poësi subjiendum. Comprehenderunt contra etiam id genus Orationum nomine, Rhetoricæque præceptis si cum ARISTOTELE (d), DIONYSIO *Halicarnasense*

A 2

nasense

b) QUINTILIAN. L. III. c. 7 f. I sq. ubi quod dicit Idem, fuisse more Romano etiam hoc munus negotiis insertum, eam habuit, observante PETRO BURMANNO, in funebribus Laudationibus causam, quod, cum haud unicuique liceret cum populo agere, opus omnino esset Senatus consulto, nec fuit igitur ex ipsa rei natura enatum. Similiter fere λόγος Atheniensium ἐπιταφίος κωνές, & in his PLATONIS Menæxenum, Politicis annumerat DIONYSIUS *Halicarnasenseus* (Τέχνης ῥητορικῆς cap. 6 f. I, & Libri περὶ τῆς λεκτικῆς Δημοσθένους δεινότητος cap. 29), non ideo tantum quod viros laudabant pro patria mortuos censebanturque hoc nomine ad πόλιν ἅπασαν καὶ δῆμον pertinere, sed magis etiam ideo quod publice jusfu erant decreti,

c) Des C. PLINIUS SECUNDUS Lobrede auf den Trajan, aus dem Lateinischen übersetzt, Leipz. 1796.

d) Τέχνης ῥητορικῆς L. I. c. 9.

nasensis (e), MENANDRO (f) & ALEXANDRO (g) Rhetoribus, QUINTILIANO (h) &c. haud æque omnes concluderunt, id ideo fecerunt maxime, non quod diffiterentur contineri etiam Laudationes Eloquentiæ regno aut esse in ratione rerum positas, sed quod videretur ipsis harum ars minus esse necessaria, in primis cum Romani istis non ita multum uterentur (i). At usi tamen fuerunt & illi, nec post amisam reipublicæ libertatem sola amplius contenti mortuorum laudatione, per plures sensim iverunt Encomiastici illius generis formas.

Plures inter, quæ *Laudativo* generi contigerunt, appellationes, *Epidictici* (k), *Demonstrativi*, *Encomiastici*, *Exornationis*

e) Τέχνης ἑπαιρητικῆς capp. 1 — 7, & alibi passim. Appellat certe is etiam γαμηλίαις, ἐπιθαλαμίας, γενεθλιακῆς & προσφωνηματικῆς λόγους (cap. 5 l. 7) panegyricorum nomine, προεργητικῆς αἰθλητικῆς finitimos iisdem esse fatetur (c. 7 l. 1) & τῆς ἐπιταφίας ex iisdem locis ducendos esse dicit (c. 6 l. 2), quibus laudationes perficiantur.

f) In Διαίρεσι τῶν Ἐπιδεκτικῶν.

g) Περὶ λόγου ἐπιταφίας, περὶ ἐπιθαλαμίων, περὶ τῆς γενεθλιακῆς λόγου &c.

h) De Institutione Oratoria L. III, cap. 7, cfr. ibid. c. 4 l. m. 4.

i) ANTONIUS apud CICERONEM de Oratore L. II, c. 10 sq. l. 43 sq. 47. c. 84 l. 341. CICERO vero ipse genus nullum esse putat orationis, quod utilius civitatibus esse possit, quam quod ad laudandos claros viros & ad improbos vituperandos suscipiatur, factisque pro brevitate libelli copiose præcepta illius persequitur in Dialogo de Partitione Oratoria c. 20 l. 69 & cc. 21 — 23.

k) Non ignoramus latius a nonnullis (CICERONE Orat. c. 13 l. 42, QUINTILIANO L. III, c. 4 l. 13) sumi hancce vocem, ut haud in-

tionis (l), *Ostentationis* (m), obtinuit etiam illa *Panegyrii*. Vocis sensum si respexeris, qui quidem congregationem designat aut omnium & universorum, aut potius magnæ hominum coronæ (nam strictè & ad litteram loquendo nullæ unquam fuerunt veræ Panegyres, sed quotquot hoc insigniri siveverunt nomine conventus hominum, potius Polyegyres), videri illa potest esse non Epidicticis solis propria, sed utique Svaforiis conveniens, ipsisque antiquorum Judicialibus sæpiuscule & communis & apta. At vero magna quamvis esset in liberis Græcorum civitatibus, & Athenis maxime, populi in concione congregati auctoritas, soteretque ad hanc exercendam is majore saltem sui parte in loco publico (plerumque in foro, ἀγορᾷ) convenire, vix solebant tamen unquam has conciones panegyres vocare, sed quoties de rebus agendis omitendisve deliberaretur, ἐκκλησίας, quoties autem judiciales tractarentur causæ, δικασήρια varii generis, unde & appellabantur in illis cives ἐκκλησιασταί, in his δικασταί (n); cum contra iidem, quoties non ad agendum de re publica, sed ad oblectandos semet festorumque celebritate & pompa pascendos oculos auresque ac mentes concurrerent, Θεωροὶ ARISTOTELI dicerentur, DIONYSIO *Halicarnasæo* (o) πανηγυρίζοντες. Appel-

tra Laudationes solas consistat; sed prævaluit apud plerosque ARISTOTELIS (L. I. cap. 3) auctoritas, cum quo consentit etiam THEON in Progymnasmatibus,

- l) CICERO de Partitione Oratoria c. 3 sq. f. 10 sq. c. 20 f. 69.
 m) QUINTILIAN. L. III. c. 4 f. 13 sq. L. VIII. c. 3 f. 11. Hinc etiam RAPHAËL REGIUS (Commentatio in QUINTILIANUM) id genus melius *Ostentativum* vocari ait, quam *Demonstrativum*.
 n) ARISTOTEL. l. c. L. I. c. 3. Cfr. CICERO de Partit. Orat. c. 3 f. 10.
 o) Περί Δυσίε cap. 14.

pellarat quippe jam HERODOTUS (p) quinquennalia illa Athenis in honorem Palladis constituta sollemnia, quæ Παναθηναία μεγάλα communiter nuncupabantur, Panegyres; sed cum, præ ceteris Græciæ festis, ad magnorum illorum factorumque ludorum, Olympiorum puta, Pythiorum, Isthmiorum, Nemeorum, celebritatem ingens spectantium turba, nec illa ex una tantum civitate, sed undique & ex universa Hellade conflueret, his quidem κατ' ἐξοχήν adhæsit splendidum illud Panegyrum nomen (q). Transit vero postmodum, per vulgarem fati metonymiam, hæc Panegyrum appellatio non solum ad loca in quibus istæ celebrarentur (r), sed etiam ad acroases ibidem pronuntiatas, quæ quamvis multorum essent generum, & in sollemnibus illis Græciæ conventibus sæpe Svaloriæ (s), cum solebant tamen habere simul multum laudationis consiliis intermixtum, tum in univèrsum ad placendum auditoribus ostentandamque oratoris artem frequenter componi; ut taceam, post amissam cum antiquo regimine deliberandi ac de rebus suis decernendi potestatem, solam fere laudis materiam fuisse Oratoribus relictam (t). Immo ita coalucrunt tandem Panegyricarum

p) L. VI. c. III.

q) Multa inter exempla attulisse sat erit DEMOSTHEN. περὶ τῆς Στεφάνου cap. 27 & ÆLIAN. ποιήτης Ἱστορίας L. IX. capp. 5, 34. Hinc etiam CLEMENS ALEXANDRINUS, in Exhortatione ad Græcos; Pythios ludos vocavit Serpentis (Pythonis) πανήγυριν.

r) Sic apud PHILOSTRATUM in Ἀπολλωνίᾳ τῆς Τυανέας Βίῳ L. VIII; cfr. LUDOV. CÆLII RHODIGINI Lectiorum antiquarum L. XVI, c. 12. Eandem quoque esse rationem, immo triplicem significatum, Latini vocabuli *conciō*, e VERRIO FLACCO monet GELLIUS Noct. Atticar. L. XVIII, c. 7.

s) CICER. Orat. c. II f. 37. QUINTILIAN. L. III. c. 4 f. 14.

t) Cfr. QUINTILIAN. L. II, c. 10 f. II. L. III, c. 8 f. 7.

ricarum Orationum atque Laudationum notiones, ut, deflexante sensim ab illius vocis proprietate sermonis usu, minus longe quam antea respiceretur audientium frequentia, sed, modo hi non admodum pauci haberentur, quicquid e Laudativo genere esset, appellaretur & Panegyricum. Serius tamen id apud Græcos, utpote qui ipsi & nomen imposuissent & vim hujus melius novissent, factam: cum contra apud Romanos, ut primum hæc appellatio invalesceret, iis attribueretur sermonibus, qui in Imperatorum licet & Principum laudem compositi, sæpe tamen non nisi in Senatus paucitate dicerentur &, quod præcipuum erat, judicarentur non a circumfusa concionis multitudine, sed ab iis fere solis, quorum & honor & gratia & plausus unice quærebantur.

Laudationes seu Laudativas Orationes diu habuerat Roma, antequam hæc Panegyricarum nomine venire inciperent: quod neque mirum, cum, præter hujus vocis peregrinitatem, veras Græco saltem sensu Panegyres nunquam habuisset. Appellat quidem CICERO (u) ipsas Romanas Nundinas nundinarum πανηγυριν, sed spectata magis origine vocis quam rei consuetudine, & congregabantur ibi homines ad suas potius cujusque, quam publicas res gerendas. Erant porro sane & Romæ, quamdiu salva manebant & cœtum jura, populares tam deliberativæ & electivæ quam judiciales conciones, sed suo domi nato, non peregre adscito, gaudentes nomine. Celebrabantur ibidem sæpe publica funera, pronuntiatisque demortuorum laudibus fiebant illustriora, at neque illis peregrina opus erat appellatione. Ad sacrorum illorum apud Græcos ludorum atque certaminum imitationem instituerat jam AUGUSTUS, aut permiserat saltem, Neapoli, in sui honorem, cer-

u) Epist. ad Atticum L. I. ep. 14.

certamen quinquennale gymnicum (v), & huic simile NERO Romæ in Septis, quod appellavit Neronia (x), pariterque DOMITIANUS Capitolino Jovi (y), quæ omnia, ad Græcorum itidem morem, sacra certamina nuncupat QUINTILIANUS (z); sed noluit ille commisionibus, i. e. oratoriis poëticisque agonibus, nomen suum obsolescere (a), & hi, quamvis triplex esse certamen istud voluissent, mulicum nempe, equestre & gymnicum, certareturque ibi & orationibus atque carminibus in principum laudes haud segnibus, nusquam tamen, quantum scimus, memoratur panegyrica nomen his ludis ipsorumve exercitationibus additum; quod & de antiquioribus illis Quinquatribus, Sæcularibus, ceterisque festis valet. Videtur sane & QUINTILIANUS ipse, quoties Panegyricos nominat (b), Græcos solos intellexisse, primoque, cui inter Romani ingenii opera id nomen adhæsit, PLINII in TRAJANUM sermone id esse haud ab Auctore ipso impositum.

Diximus Laudationes inter pronuntiarum Romæ solitas, funebribus nullas fuisse magis consuetas; hæc autem utrum ibi an

-
- v) SVETON. in Aug. c. 98. Cfr. DIO CASS. L. LIII. c. I. VIRGIL. ÆN. L. III. v. 280.
- x) SVETON. in Nerone c. 12. TACIT. ANNAL. L. XIV. c. 20 sq. L. XVI. capp. 2, 4.
- y) SVETON. in Domitiano c. 4. CENSORIN. de die natali c. 18.
- z) L. II. c. 8 f. 7. L. III. c. 7 f. 4. L. IX. c. 4 f. II. Sic & in Digestis sive Pandectis, nulla loci temporisve ratione habita, certamina sacra promiscue dici omnia corporis exercendi spectacula bene observavit Cl. G. L. SPALDING.
- a) SVETONIUS in Aug. c. 89.
- b) L. II. c. 10 f. II. L. III. c. 4 f. 14. c. 8 f. 7, 9. L. X. c. 4 f. 4.

an in Græcia usu maturius venerint, a multis fuit, testimoniis a neutra parte spernendis, disputatum. Utrisque certe, Romanis puta & Græcis, — at cui non populo? — cara & venerabilis semper fuit defunctorum, sed propinquorum maxime, memoria, idque, ut acute est a WIELANDIO observatum (c), magis etiam in primis illis atque rudibus socialis vitæ iunctis; & quod plus erat, exitum batur non humano minus quam divino jure deberi mortuis honor, unde & quæ ipsis persolveri oportebat funebria, moris erat appellare *νομιζόμενα, ὄσια, δικαιο* seu *justa*. Erant etiam, ut Romanis, na Græcis quoque, sed communes fere utrisque, in funeribus ritus: prætorum utrobique lugubris & pullatæ vestes, funebres tibie (*Θρηνητικοὶ αὐλοὶ, κινιδόνες*), ardentes iædæ atque facies, plangentes lamentantesque sive viri (*ἑξάεργοι Θρηνητῶν*) (d), sive mulieres (*Πραξίνα, ἠλεμίστρια*), sive filii testus atque nemæ (*τάλαμοι, Θρηνητοὶ ἐπικηδεῖοι, ολοφρυμοὶ*), flores & corollæ tertaque florea, odoros, sitiones, resperuones, aliaque munera, sicut la & inferiæ sive privatæ quam publicæ, exituales pulæ (*περιδειπνον, τάφος*), ferale urnæ *λείριανες, ὄσκημαί, φιάλαι, σοροὶ*, sepulcrorum tituli, atque certamina demum & ludicæ decuriones (e). Inerant etiam horum omnium saltem non-

B

nullis

c) In notis ad LUCIANUM *περὶ Πένθους*: vid. LUCIANUS von Samosata sämtl. h. Werke, übersetzt von C. M. WIELAND, 5ter Theil, p. 201 sq.

d) Fuisse etiam Romanis suos ploratores, reddidit HORATIUS locus A, P, v. 431 non omnino improbabile.

e) Putat quidem WIELANDIUS l. c. p. 213, apud Græcos solos obtinuisse morem certariorum *ἀεθλων*, at contra apud Romanos laudationum funebrium; sed præterquam quod haudquaquam rara Romæ essent gladiatoria in funeribus individuivis vel horum anniversariis munera (vid. VALERIUM MAXIMUM L. II, c. 4 f. 7. LIVIUM

nullis mortuorum laudes: nimirum, ut probabiliter τὰς Γρα-
 κοῦν ἐνοῦσσαις ἀοδαῖς, τῶνque τὸ Ἰσχυεῖν πεπομπέοις, sic
 omnino meditatis illis Præficarum Romanarum lamentis atque
 Neniis (f; extequentialium porro epularum apparatus (g); tan-
 demque

L. XXIII. c. 30. L. XXVIII. c. 21. L. XXXI. c. 50. L. XXXIX. c.
 46. XLI. c. 28 & Epit. L. XVI. CICERONEM pro Sulla c. 19 f. 54.
 HORATIUM L. II. sat. 3 v. 8; sq. PLINIUM L. XXXIII. c. 3 f. 16.
 XXXVI. c. 15 f. 24, 8. SVETONIUM in Cæsare c. 26, in Tibe-
 rio c. 7. FLORUM L. III. c. 20. AELIUM SEPTIMIUM in Hadriano
 c. 9 &c.), memorantur quoque Ludi funebres LIV. L. XXIII. c. 30.
 L. XXVIII. c. 21. L. XXXI. c. 50. L. XXXIX. c. 46. SVETON.
 in Cæsare c. 84. PLUTARCH. Πρωταίη c. 14 &c. Etiam TERENTI
 Comœdia Adelphi funebribus Ludis acta est, narranturque a T.
 FLAMINIO, paternæ mortis causa, dati etiam Scenici Ludi LIV.
 L. XLI. c. 28.

f) Erant quidem, CATONE apud GELLIUM teste L. XVIII. c. 7, vo-
 ces Præficarum res tætræ & inanes & frivola, dicunturque PHÆ-
 DRO (L. III. Prolog v. 10) viles neniæ, NONIO (c. 2) ineptum &
 inconditum carmen, atque PLAUTO (lugubres namque cantus signifi-
 care videtur vox illa mortualia in Asinariæ Act. IV. sc. 1 v. 63)
 nugæ, unde etiam ad puerorum atque nutricum cantilenas deno-
 tandas (HORAT. L. I. ep. 1. v. 62 sq. ARNOB. adversus Gentiles
 L. VII.) sensum deflexit istius appellationis vis. Inuisis vero in
 lamentabilibus illis complorationibus multum laudis, extra dubium
 ponunt sequentia Veterum loca. Neniæ est carmen, quod in fune-
 re laudandi gratia cantatur ad tibiam; FESTUS L. XII. Hæc qui-
 dem, mehercule opinor, Præfisa est, quæ sic mortuum collaudat;
 NÆVIUS apud Eundem L. XIV. Præfisa dicebantur apud Veteres,
 quæ adhiberi solebant funeri mercede conductæ, ut & fierent &
 fortius facta laudarent; NONIUS MARCELLUS de Proprietate Sermo-
 num. Præfisa mulier ab luctu, quæ conduceretur quæ ante domum
 mortui laudes ejus caneret; AURELIUS apud VARRONEM de Lingva
 Latina L. VI. Præfisa, quæ alios collaudat, capse se vero non po-
 test; PLAUTUS in Truculento Act. II. sc. 6. v. 14 sq. Cfr. CICE-
 RONEM de Legibus L. II. c. 24 f. 62.

g) Sequebantur (Athenis) epulæ, quas inibant propinqui coronati

demque titulis illis atque elogiis, quæ sepulcris insculpi a
eana inde vetustate siveverant (h). Eminebant in his laudum
commendationibus maxime tituli, qui quippe duris incisi persi-
stentibusque materiis memoriam defunctorum non bis aut se-
mel, sed sæpius & ad feras usque ætates renovabant; quo iti-
dem spectarunt carmina, quibus tolebant tam apud Græcos (i),
quam apud Romanos (k), variis omnino occasionibus, sed in
epulis frequentissime, clarorum virorum laudes & splendida
facta ad citharam aut ad tibias cani, & Romæ nominatim is
honos, quo Saliari carmini inferebatur aliquando augustioris

B 2

mor-

apud quas de mortui laude, cum quid veri erat, prædicatum;
nam mentiri nefas habebatur. CICERO de Legibus L. II. c. 25
f. 63. Hinc etiam Diogenianum illud, de homine nequam; *ἄκ
ἐπαίνεθεις ἐδ' ἐν περιδείπνω.*

b) In magna exemplorum copia hæc notamus: Homero ab Ienibus
positum epigramma (PLUTARCH. *περὶ Ὀμήρου* c. 3), Thaletis monu-
mento inscriptam laudem (DIOGEN. LAËRT. L. I. c. 1 f. 12), da-
tum M. Atilio Calatino elogium (CICERO de Senect. c. 17 f. 61,
de Finib. L. II. c. 35 f. 146). Spectat huc etiam PLATONIS (*περὶ
Νόμων* L. II) lex, quam latine ita extulit CICERO: *Exstrui
autem vetat sepulcrum altius, quam quod quinque diebus homines
quinque absolverint, nec e lapide excitari plus, nec imponi, quam
quod capiat laudem mortui incisam ne plus quattuor herois versi-
bus;* de Legg. L. II. c. 27 f. 6c. Cfr. THEOPHRASTI *Ἡθικοὶ Χαι-
ρακλήγες*, Cap. 14.

i) HOMER II IX. 186 sqq. 520. Odyss. I. 152 sqq. 326 sq. VIII.
73 sqq. 99. ALIAN. *Ποικίλης Ἱστορίας* L. XIV. c. 23. PLUTARCH.
περὶ Μουσικῆς c. 39. QUINTILIAN. L. I. c. 10 f. 10.

k) CICER. Quæst. Tuscul. L. IV. c. 2 f. 3. Brut. c. 19 f. 75. QUIN-
TILIAN. L. I. c. 10 f. 20.

mortui nomen (l). Eodem spectarunt quoque, in primis quoties non haberentur tantum sed scribendo divulgarentur, aut saltem in familiis conservarentur (m), Laudationes illæ Funebres: quas Græci licet haudquaquam ignorarent, serius tamen quam Romani adjecisse funerum legibus a DIONYSIO *Halicarnasæo* (n) existimantur. Is enim postquam commemoravit orationem a P. VALERIO POPULICOLO consule, in funere collegæ L. JUNII BRUTI, advocati coram populi concione, ex tribunali, anno Romanæ libertatis primo habitam, fatetur quidem haud liquere sibi, mos ille tumne institutus a VALERIO fuerit, an a regibus traditus, sed vetus tamen Romanorum esse inventum, nec a Græcis ortum, tanto firmiorem insidere sibi persuasionem significat, quanto ex historia compererit certius, præter Tragicos Atheniensium suæ urbi adulantes, de laudibus illustrium virorum memoriæ dictis neminem scripto reliquisse quidquam. Sero namque fuisse morem eum, ut, qui in bellis pro patria occubuisent, eos publica oratione laudarent (o), ab Atheniensibus (p) receptum, sive id in iis pri-

l) Accidit id e. g. Germanico, TACIT. Annal. I, II. c. 83, & Annio Vero, JUL. CAPITOLIN. in vita M. Aurelii Antonini c. 21.

m) CICER. Brut. c. 16 f. 62, de Finib. L. II, c. 35 f. 116.

n) *Ἀρχαιολογ. Ῥωμαϊκ.* L. V. c. 16 sq. cfr. L. IX, c. 66.

o) Cfr. THUCYDID. L. II. c. 34. DIODOR. *Sicul.* L. XI. c. 33. PHILOSTRAT. in vitis Sophistarum L. I, DIONYS. *Halic. Τέχνη. Πητος.* c. 6 f. 1, 3. ALEXANDER Rhetor *περὶ Ἐπιταφίης.* CICER. Orat. c. 44 f. 151.

p) Atticæ civitati proprium fuisse id institutum, nec ad alias Græciæ civitates propagatum, observat F. A. WOLF in Commentario ad

primum fecerint qui ad Artemisium, Salaminem & Plataeas cecidissent, sive in iis qui Marathonico periissent praelio, &, ut detur morem hunc ab hac pugna coepisse, esse tamen vel istam BRUTI funere sedecim annis posteriorem. Dubitantius idem tuetur PLUTARCHUS (q), & ita, ut, quod ad ANAXIMENE Rhetore dictum perhibet, deberi illud inventum SOLONI, impugnare nolit: quod ergo si verum esset, priores centum fere annis hac quidem in re habendæ essent Athenæ. At ne sic quidem contenti sunt alii, recentiores præsertim, sed cum rem antiquiorem multo putent, non possunt quin Græcis magis faveant. Ferunt nempe fuisse jam a CECROPE institutum, non solum terra ut humarentur defuncti (r), verum etiam ut de ipsorum laude haberetur in funere inter propinquos oratio; querelas memorant ab ACHILLE in PATROCLUM (s), quemadmodum a Trojanis in HECTOREM (t), effusas; perhibent, PHILOSTRATI (u) fide, AJACEM Telamonium a MENESTHEO epitaphio sermone laudatum; & de SOLONE denique ita sentiunt, fuisse, quæ apud Romanos in funeribus fierent, fere singula ad ipsius normam efficta. Et est sane in hoc ultimo (nam leviora & incerta magis reputanda esse reliqua quisque videt) plurimum ponderis situm, cum, quod ad manium atti-

net

DEMOSTHENIS Orationem adversus Leptinem p. 361. Hujusmodi vero laudationibus, qua rem ipsam ejusque tractandæ modum, congruens est CICERONIS illa in Legionem Martiam, quæ apud Mutinam ceciderat, Philipp. XIV. c. 12 sq.

q) In vita POPULICOLÆ, c. 14.

r) CICER., de Legibus L. II. c. 25 f. 63.

s) HOMER. II. XVIII. 315, 325 sqq. XXIII. 19 sqq. 102 sqq.

t) HOMER. II. XXIV. 725 sqq. 748 sqq. 762 sqq.

u) In Ἡρωϊκοῖς.

net jura, multa essent de SOLONIS legibus in duodecim tabulas translata (v); cumque saltem vetuisset idem maledici mortuis (x), sancitumque aliquanto post fuisset, non licere de ipsorum laude dici nisi in publicis sepulturis, atque ab eo qui publice ad eam rem constitutus esset (y); at desunt apertiora plenioraque controversæ rei testimonia. Meretur interea id quoque observari, ne ea quidem videri usquequaque vera a DIONYSIO (z) dicta, quæ de Atheniensium atque Romanarum in funeribus Laudationum discrimine prodidit memoriæ, concludendo videlicet illas eorum tantum mortibus celebrandis, qui in bellis pro patria periissent, has vero, & recte, ad viros de republica quocunque modo bene meritos extendendos; cum tamen, si vel illas taceam funebres Laudationes, quas post DIONYSII ætatem scriptas novimus, ab ARISTIDE Rhetore in ETEONEUM discipulum adolescentulum, inque ALEXANDRUM admodum senem, atque ab HIMERIO in filiam, in illo quoque Atheniensium plephilmate, quo ZENONI *Cittieo*, philosopho, decernebantur laudatio publica, corona aurea, & sepultura in Ceramico, additum expresse sit, factum hoc esse ideo. ὅπως πάντες ἴδωσιν ὅτι ὁ δῆμος ὁ τῶν Ἀθηναίων τὰς ἀγαθὰς καὶ ζῶντας τιμᾶ καὶ τελευτήσαντας (a); cuiusque, quod plus etiam est, alio in loco (b) DIONYSIUS ipse de funebrium Orationum præceptis ita loquatur, ut haudquaquam bellatores solos, e-

osque

v) CICER. de Legibus L. II. c. 23 f. 59. c. 25 f. 64.

x) PLUTARCH. in Solone c. 33.

y) CICER. de Legibus L. II. c. 26 f. 67.

z) Ἀρχαιολογ. Γραμματ. L. V. c. 17.

a) DIOGENES LAËRTIUS L. VII. c. 1 f. 9.

b) Τέχνης Ῥητορικῆς cap. 6.

osque Martis casibus occumbentes, sed etiam pueros, adolefcences, sēnes, legatos & cujusvis generis magistratus respiciat: quæ omnia nisi Romanæ potius quam Græcæ Eloquentiæ rationi attemperasse censendus sit, quod tamen ægre admitti posse videtur, vix poterunt cum opinione a plerisque recepta bene conciliari. Dubitari vero jubet in primis ARISTOTELIS in Rhetorica silentium, præsertim cum quæ encomia data scribit (c) HIPPOLOCHO, HARMODIO & ARISTOGITONI, possint etiam de carminibus in ipsorum memoriam compolitis intelligi. Neque ad rem decidendam quidquam valet PLATONIS (d) illa lex, qua statuit decens esse laudari insignes corporis animive virtute cives, tam viros quam mulieres, qui jam functi sint fati: nam illam non ut historicus alicubi obtinere narrat, sed ut legislator ipse præseribit. Romanorum vero dominationi subiecti succedente tempore Græci, Romanos quoque mores sensim assumserunt.

Utunque autem de Funebrium Laudationum origine & antiquitate judicetur, carere tamen id saltem videtur dubio, frequentius Romæ, & pluribus, obtigisse easdem. Quoties nempe ibi e vita migrarat vir quidam illustris, efferre moris erat funus in Forum ad Rostra, quibus conscensis & circumstante inferius totius populi corona, defuncti aut filius, aut e sanguine junctis alius aliquis, aut denique ex mandato magistratus quidam aut orator, commemorabat laudes atque res gestas non solum ipsius demortui, sed majorum quoque e quibus erat is ortus (e). Increvit etiam sensim istarum Lau-
da-

c) Τέχνης Ῥητορικῆς L. I, c. 9.

d) Περί Νόμων L. VII.

e) POLYB. L. VI. c. 51 sq. QUINTILIAN. L. III. c. 7 §. 2. Cfr. PLUTARCH. in Poplicola c. 14.

lationum amor ita, ut pro una duæ haberentur, quod sub AUGUSTO primum obtinuisse, refert LIO CASSIUS (f); fuisseque easdem in familiis studiose aservatas, jam supra est monitum. Queruntur vero non LIVIUS (g) minus quam CECERO (h), vitiatam fuisse mendosiorumque his ipsis Laudationibus effectam Romanarum rerum historiam, cum multa in iis scriberentur quæ facta non essent, falsique narrarentur triumpho, consulatus plures atque haud pauca de genere & rebus gestis mendacia: quæ omnia uti probant, discessisse per adulandi libidinem aut ostentationem multos a veritate, sic aliter omnino se primitus habuisse, vix ulli esse videtur dubio obnoxium.

Centum fere & viginti effluxerant a L. JUNII BRUTE funere anni, cum publicus funebris Laudationis honos, qui solis viris hæc nus fuerat proprius, cum matronis quoque Romanis communicaretur. Anam novæ rei a Senatu decernendæ dederat earundem in magna patriæ necessitate liberalitas, cum sive ad donum Apollini ex decima Vejentanæ prædæ promissum solvendum (i), sive ad auri summam, qua redimenda

f) *Ρωμαϊκῆς Ἱστορίας* L. LIV. versus finem & L. LV. init. Cfr. SVETON. in Augusto c. 100.

g) L. VIII, c. 40.

h) BRUT. c. 16 f. 62. Valere idem de multis posteriorum temporum funebribus orationibus, haud recens est querela; narratque HZUMANNUS in Pœcile T. II. p. 187, inscripsisse propterea quandam voluminis laudationes tales complectentis tergo: *Volumen mendaciorum officiosorum*: nec impedit id tamen, quominus plus obfuisse quam profuisse censendum sit Historiæ, quod receptior quondam & religionis quoddam instar habens mos in desuetudinem fere postea abierit.

i) PLUTARCH. in Camillo c. 14. Cfr. Liber Ejusdem *Γυναικῶν ἀρετῶν*, c. 1.

menda erat cum Gallis Senonibus pax, complendam (k), mundum luum aureum contulissent; quorum vero aut hoc aut illud cum paullo post quarti a Roma condita sæculi medium contigerit, non potest non mirum videri, quod dicat apud CICERONEM (l) M. ANTONIUS Orator, putare semet, POPULIÆ primam, a filio Q. LUTATIO CATULO, & quidem, ut temporum ostendit ratio, circa septimi sæculi medium, laudatæ, hunc honorem in Romana civitate tributum; nisi forte putes, quod tamen haud multo minorem habet difficultatem, POPULIAM non primam dici quæ publicæ, sed primam quæ a filio laudata sit. De cetero notari convenit, fuisse initio moris, ut provectioris tantum ætatis feminæ in funeribus laudarentur, sed postea ad juniores quoque deflexisse istum honorem, ex quo CÆSAR uxoris suæ CORNELIÆ memoriam funebri decorarat oratione (m): at ita tamen, ut in acerbis quibusvis tam puellarum quam puerorum funeribus, quemadmodum a reliqua pompa, sic etiam a Laudationibus, majorum saltem more, abstineretur (n).

Personas nuper mortuas qui singulatim aut omnino non, aut parcius saltem laudasse videntur, Græci, habebant tamen partim in panegyribus, partim in Rhetorum ludis, & veras orationes, & declamationes magis umbratiles atque domesticas, quæ in illustres priorum ætatum homines dicerentur, ut in ACHILLEM, HELENAM, CYRUM, AGESILAUM, THEMISTOCLEM, ARISTIDEM, EPAMINONDAM, PHILIPPUM, ALEXANDRUM, & alios

C

k) LIV. L. V. c. 50.

l) De Oratore L. II. c. II. f. 44.

m) PLUTARCH. in Cæsare c. 7.

n) TACIT. Annal. L. XIII. c. 17.

hos (c), quisque ergo comparare cum recentiorum Laudationibus (*Eloges, Aremlinnen*) commodè possit. Illas aut nullas, aut certe valde raras apud Romanos fuisse, vel inde colligas, quod veras quasdam oratorias panegyres ii, præsertim florentissimo eloquentiæ suæ ævo, non haberent, quodque nec ulla hodie supersint istiusmodi orationum exempla, nec, quantum quidem jam succurrit, ab auctoribus memorentur (p): ad Rhetorum vero progymnasmata cum pertinerent etiam Laudationes rerum quarumvis, ipsorum primum chartis, deinceps, cum in deliberativa judicialiaque argumenta illi libentius irrumperent (q), etiam Grammaticorum, sed brevi perituris utrorumque, tales multas fuisse illitas, & auditoribus, quot & quales præberent aut fortuna aut preces, recitatas declamatasque peræpe, tanto est magis indubitatum, quanto constat ex CICERONE (r) ipso certius, habuisse Romanos Rhetores in suo COCLITE, DECIUS, CN. & P. SCIPIONIBUS, M. MARCELLO, innumerabilibusque aliis, campum æque assidue laboratum, atque Græcos sua in Marathone, Salamine, Plataeis, Thermopylis, Leuctris.

Lau-

-
- o) ARISTOTEL. *Tέχνης Πηροικήης* L. II. c. 16. CICER. de Orat. L. II. c. 84 f. 341. de Finib. L. II. c. 35 f. 116. QUINTILIAN, L. III. c. 7 f. 3, 1E sq.
- p) CICERO certe, de Orat. L. II. c. 84 f. 341, nullas loquitur alias in foro Laudationes, quam quæ aut testimonii loco, aut ad funebrem concionem dicerentur. De Oratoribus autem jam loquimur, non de Vitarum Scriptoribus.
- q) QUINTILIAN. L. II. c. 1 f. 2.
- r) De Officiis L. I. c. 18 f. 61. Pertinet huc etiam, quod de ALEXANDRO SEVERO narrat ÆLIUS LAMPRIDIUS c. 35, ubi dicitur is Imperator libenter audivisse, si quis ei recitaret ALEXANDRI MAGNI laudes aut meliorum retro principum, aut magnorum urbis Romæ virorum; sed in univèrsu aut nunquam, aut valde raro, vacabat Romæ, aut commodum erat, audire recitantes (PLIN, L. III. ep. 18).

Laudationes a mortuis ad vivos trafluxit, apud Romanos quidem, partim Græcorum exemplum (s), partim fervilis nullasque sub Imperatoribus malis adulandi artes detrectans animorum abjectio. Jam nullam prætermitti decebat laudandorum aut ipsorum aut reliquorum principum, saltem quoties hi essent illis grati atque accepti, occasionem: eratque id non carminibus tantum, nec subito & ex incidente sermone ad gratiam dictis, sed iustis omnino orationibus, agendam. Hinc illi MENANDRO (t) Rhetoribusque Græcis alii dicti Βασιλικοὶ Λόγοι: iique partim Natalitii (Γενεθλιακοὶ), partim Nuptiales (Γαμήλιοι καὶ Ἐπιδαλάριοι), partim Compellatorii & Gratulatorii (Προσφωνηματοὶ), atque in gratiis agendis occupati; & quis jam locus miseræ adulationis manebat ignarus, cum laudes Imperatorum ludis etiam & comisationibus celebrarentur, saltarentur, atque in omne ludibrium effeminatis vocibus, modis, gestibus frangerentur? cum, eodem tempore, in senatu & in scena, ab histrione & a consule, laudarentur? cum nihil tam vulgare, tam parvum in senatu ageretur, ut non laudibus principum immorarentur, quibuscumque censendi necessitas accidisset? Patiebantur illi, & quasi meruissent, lætabantur (u); nec erat tamen, vel in tanto artis abusu, occultum, quando ex veritate, quan-

s) Apud reges etiam malos panegyricis mendocibus adulantur, quod malum a Græcis ortum est, quorum levitas, instructa dicendi facultate & copia, incredibile est quantas mendaciorum nebulas excitaverit; LACTANT. de falsa Religione c. 15. Panegyricum est licentiosum & lasciviosum genus dicendi in laudibus regum, in cuius compositione homines multis mendaciis adulantur: quod malum a Græcis exortum est, quorum levitas, instructa dicendi facultate & copia incredibili, multas mendaciorum nebulas suscitavit. ISIDORUS Hispalensis L. VI. c. 8.

t) Libro citato.

u) PLIN. Paneg. c. 54.

quando adumbrata latitia, facta Imperatorum celebrarentur (v). Gratiarum vero inter actiones insignem tuerentur locum aditiales illæ in auspiciando consulatu Orationes (x): quod quidem munus quamvis imperatorio isto ævo nil nisi honorem afferret (y), erat tamen id qualecunque ornamentum tali aut pietatis aut adulationis officio redimendum.

Laudativarum Orationum, aut scriptionum saltem, materiam præbebant Græcis non solum homines, iique laude aut vere digni aut certe digni quadantenus habiti, sed etiam, per paradoxiam, aliquando ii, qui pessime audirent, e. g. EUSTRIS, Ægyptiorum tyrannus, qui tamen longo post mortem tempore laudatores invenit POLYCRATEM atque ISOCRATEM (z); & res inter atque animalia, etiam talia, quæ molesta potius & noxia, quam utilia atque laudanda putamus, quemadmodum laudavit idem POLYCRATES mures, LUCIANUS muscam, podagram, artemque parasiticam, SYNESIUS calvitiam, FAVORINUS febrim, & quæ sunt cetera ejusmodi: sed apud Romanos, Anticatores JULII CÆSARIS, qui tamen proprie proprie huc non pertinent, si exceperis, vix tale quidquam dedita opera scriptum, nedum pronuntiatum publice fuit, nisi forte in eorum Grammaticorum aut Rhetorum scholis, qui ad sophisticam rationem plus justo inclinarent.

v) TACIT. Annal. L. IV. c. 31.

x) PLIN. L. II. ep. 1. L. III. ep. 18. Paneg. c. 4.

y) Recte ergo CLAUDIUS MAMERTINUS junior: *in administrationibus, inquit, labor honori adjungitur; in consulatu honos sine labore suscipitur.* Gratiar. Act. JULIANO c. 2.

z) Cfr. VIRGIL. Georg. L. III. v. 5.